tuere erumpentibus flagitijs nõ possit. Homo immani acerbáque natura, furore atque amẽtia incensus. Illa uerò huius importunæ beluæ singularis atq; incredibilis uis, quæ ex malis perditissimorum hominum uitijs collecta in omnium iam fortunas, sanguinem atque cædem conualescit. Homo natura truculentus, concitatus, terribilis, deterrimúsque debacchator. Impurus, impotens, contumeliosus, semper eò contendens, quò furor rapit.

Perfidiosus prę-

uaricator.

Prænaricator.

INIQVISSIMVS IVDEX, & diu multúmq; in spoliationibus, pactionibus, cõiurationibus, iuris ac fortunarũ inũdinationibus uersatus. Huius iudicis perditissimi, & omniũ legũ atq; iuris euersoris cura, studiũ, cogitatio, ars oĩs est, oĩm inimicos diligenter obseruare: ex utraq; parte caussas uolũtatésq; pspicere: alijs metũ, alijs spẽ adferre, oĩa fraude & dolo malo agere. Perfidiosus p̃uaricator oĩa libidinose, crudeliter, nefariè agit: p̃do iuris urbani, labes ac pnicies utilitatis cõis, hostis oĩs æquitatis. Huius inaudita pfidia, auaritia infinita, singulari uero iprobitate iudiciorũ integritas oppssa uidetur atq; tota ciuitate eiecta. nulli⁹ enim innocẽtia aduersus huius impietatem atq; scelus sa

tis fuit defensa: omnia iuris uincula huius dissolutæ improbitate rupta atq; conuulsa uidentur.

Luxuriosus ga-

neo omni libidine affluens.

LVXVRIOSVS, PETVLANS, proteruus, ebri⁹ ganeo: & qui eò semper trahitur, quò libido rapit, quò furor, quò uinolẽtia. Nulla libido ab huius corpore, nulla uis à manibus, nullum flagitiũ à turpissimis scelerati ssimíq; eius factis abfuit unq̃. Homo plenus stupri, sceleris, flagitij, eò impudẽtiæ pgressus, ut eũ in summa neq̃tiæ nõ solũ libido, ueruetiã ipsius neq̃tiæ fama ciuiũq; indignissima q̃rela oblectet: uideaturq; in eiusmodi luxuria ad aliorũ flagitiosissimas libidies, singularẽq; petulãtiã natus esse. Vt cæteris ĩ officijs pudoris, fidei, integritatis nihil hoĩs habet hic scortator, sic ĩ solis uoluptatib⁹ oẽs Epicureos sensus acrimonia uincit: neq; quisq̃ tã domini sui est seruus, q̃ hic libidinũ: neq; tã fugitiuus à domino, q̃ ille à iure ac legibus: neq; tã abhorrẽs à morte, q̃ ille à uitæ honestate. Hõ sumptuosus, uoluptuarius, ad oẽm libidinem sensus suos atq; mẽtẽ uersans. Hic helluo à pueritia cõtaminatus nõ solũ intẽperãtia, sed etiã cõsuetudine in puersa ac pfusa libidine est uersatus. Luxuriosus scurra in lustris & helluationibus educt⁹ primũ ætatis tẽpus ad oĩm libidines diuulgauit: &

Ganeo.

reliquũ uitæ cursum fœdo lenocinio sustẽtauit. Hõ oĩs turpitudinis exẽplũ, dedecus adolescẽtiæ, pbrũ iuuẽtutis, ludibriũ senectutis, plenus stupri, plenus cõtẽtionis, plenus inconsideratissimæ temeritatis. Mulieris huiꝰ nefaria libido nõ solũ dedecore, uerũ etiam scelere est coniũcta: flagrat cupiditate, ac inflãmata libidine sic fertur, ut eã nec pudor ab infamia, nec pudicitia à stupri fœditate, nec pietas ab incæstu, nec generis ac familiæ macula à libidinũ turpitudine auocare queat. Omnia enim pudoris naturæq; ornamenta furore ac cupiditate perfregit. Vicit, ut ait Cicero, pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Mulier perdita nequitia, effusa libidine, insatiabili cupiditate, arte quadam ad uoluptates adolescentulorum excitandas accommodata.

Impurus leno.

Leno.

EFFVSE PETVLANS LENO, cœnum hominis, bustum Reipublicæ, ue cors & amẽs debacchatur, pecus & putrida caro, truncus atque stipes, rapax furunculus, insidiatur pudicitiæ atque innocentiæ omnium, & tanquã serpens è latibulis tumidis cer uicibus in aliorum perniciẽ repens, semper poscens, semper rapiens. Prægustator libidinum & impurissimus leno uniuersæ iuuẽtuti, quam corruptelarũ illecebris deuinctam sibi habet, ad libidinem, ad stupra, ad incæstum, ad adulteria, uirginúmque raptus facem præfert. Hic optimorum hominum mentes atque sensus nefarijs conatibus uulnerat, iuuẽtutis innocentiam scelere inquinat, matronarum uiduitatem stupri ludibrio prostituit, uirginum pudicitiam largitionibus tentat, promissis allicit, ui expugnat.

Omni turpitudinis infamia fractus.

Infamis.

IMMANISSIMVM AC FOEdissimum hoc mõstrum, abiectum & semiuiuum in omnia sẽ flagitia ingurgitauit, omnes fœdissimæ turpitudinis notas subijt, impeditum scelerum conscientia, oppressum bonorum omnium odio, insignitum iusti senatus nota turpissima, amissione dignitatis afflictum. Homo inops ab omni existimatione amicorumq; commendatione, in omni dedecore uolutatus. Nulla turpitudinis est nota, quæ nõ huius pecudis inusta sit uitæ: nullum animi uitiũ, quo non mens eius oppressa sit: nullum flagitij decus, quod non infamiæ hæreat. Scurra infamia fractus, furore atq; amentia inflammatus, omnium denique scelerum improbissimus machinator, impius maleficio, coopertus flagitijs, cæde ac ciuili sanguine pastus, omnium denique sententijs dãnatus. Publicus hic fraudator atq; inficiator propter ci-

uium uexationem turpiſſimis iudicijs cõuictus oĩm odio ꝓteritur atq; cõculcatur. Homo literis publicis notatus, *fortuna egens, uita turpis, exiſtimatione dãnatus.* Homo *amẽs atq; ꝓditus, ad oẽm nequitiã, ſcelus atq; facinus proiectus, nefarijs criminibus co opertus, magnã ſibi ex omni ſcelerũ uitiorumq; audacia turpitudinẽ atq; infamiã contraxit: multa in deos hominẽſq; impiè cõmiſit, quorũ nunc iuſta ultione à mente cõſilióq; deducitur, atq; ad ſupplicĩũ rapitur.* Dãnatus *reus, hoſtis patriæ, euerſor legũ, expugnator pudicitiæ flagitioſiſſimus, nepos deſperatus, legum metu conſcientiáque peccati exanimatus ſpiritum tranquillum ducere nequit.* Quæcũque *in homine infami, perdito ac damnato uitia reprehendi publicíſq; legibus damnari poſſunt, ea in hoc uniuerſa redundãt: nullum unquã à puerítia honorem, nulla uirtutis ſtudia, nullum bonæ exiſtimationis fructum cogitauit: itaq; ex bonorũ decoctore, fraudatore publico, omniũ ciuiũ factus eſt hoſtis: nulla tamen inſignior fœdiórq; infamiæ nota inuri illi potuit, q̃ quòd in hac ſcelerum importunitate nemo illum aditu, nemo congreſſione, nemo officio dignum iudicat: omnes illum tanquã nequam, turpem, improbum, multis flagitijs contaminatum fugiunt.* Homo *improbus ex omnium ſcelerũ colluuione natus, tetra immaniſq; belua, omni inaudita libidine infamis.* Homo *pœnarum metu perterritus, infamia perditus, eo furore, quo imbutus interitum omnibus minatur, ut nec ruere demens, nec furere deſinat.*

Ignobilis, ineptus ac perditus.

NIHIL IN HOC ABIECTISſimo pecore uirtutis, nihil animi, nihil neruorum: & in tã uaſto corpore tãta iudicij eſt inopia ac ratiõis egeſtas, ut ne mica quidem ſalis ineſſe uideatur. Homo perditus.

Nulla huius in cõſilijs prudẽtia, nulla in amicitia fides, nulla in rebus publicis dignitas, ſed oĩa ſtupore animi atq; amẽtia ſunt cõtaminata. Hõ ſine ſenſu, ſine ſapore, elinguis, tardus, piger, inhumanꝰ, neglectus, & ꝓrſus Cappadox q̃dã de grege uenaliũ abreptꝰ: cuius mẽs ſcelerũ cõſciẽtia obſtricta, animꝰ anguſtus, humilis, prauus, oppletus tenebris ac libidinũ ſordibꝰ uirtutis ſplẽdorẽ intueri nõ poteſt. Nõ recipit huiꝰ leuitas ullã uitæ dignitatẽ, nõ animi egeſtas ullã recti facti gloriã, non uitæ ꝓbitatẽ ingenij infirmitas, nõ ullum liberũ uitæ ſpiritũ tot flagitijs oppreſſa mens eius ducere poteſt: nota omnibus luculenta illius uitia, cognita ingenij tarditas, detectæ libidinum cupiditates, animaduerſus ſtupor, debilitáſque linguæ. Non eſt ſperandũ, ut hunc perditiſſimum hominem ab omni non modo ſimulatione uirtutis, uerumetiam ſpe innocentiæ relictũ ulla uel uirtus ad uitæ frugẽ reuocare, aut pœnæ formido eius flagitia corrigere, aut optimorũ hoĩm auctoritas effuſam illius petulantiam conſtringere poſſit.

Natura hunc hominem cum ad optimarum rerũ omnium ignorationem, tum uerò ad insignem & furiosam amentiam abiecit, uoluntas pellexit, usus exercuit. Ex argilla & luto fictus homulus.

Maledicus, laudis alienæ obtrectator.

obtrectator.

HOMO PVSILLVS, MALEDICUS, laudis alienæ obtrectator, & ipsa illa maleuolentia, qua præcipuè laborat, ieiunus atque inanis. Omnia hic naturæ atque industriæ instrumẽta ad communem ciuium optimorumq; hominum infamiam atque perniciem conuertit, totus ex friuola, arroganti, & inani maledicentia concretus. Obtrectator studij, laudis, gloriæ alienæ omnibus suã inuidet gloriã, omnibus bonis nõ magis maleuolentia, q̃ uirtutis desperatione debilitatus cãlũnias imponit.

Omnis huius labor, omnis cogitatio, oẽs sensus in obtrectationẽ famæ alienæ dignitatísq; oppressionem sunt cõuersi. Fert hoc improbissimorũ hominũ natura lõge ab illo prioris sæculi cãdore dissentiens, ut uiris bonis ac florẽtibꝰ ingenijs, ꝓpter laudis magnitudinẽ atq; splẽdorẽ, facilius incũbat inuidia.

Impudẽs ac inuerecũdus hic debacchator nõ iudicio, sed morbo animi & quadã impotẽtia oĩm laærat dignitatẽ. Infamis hic scurra & oũn bonorum

cõsuetudine indignissimus, ut ipse ab omni uitæ atq; honoris existimatione alienus semper fuit, sic præcipiti furore & quadam naturæ importunitate in optimi cuiusq; existimationem inuehitur. Indicabimus infrà aliquot calumniandi elocutiones.

Arrogans & superbus.

Superbus.

HOmo arrogans, incredibili superbia, prodigiosa sui ignoratione, intolerabili contemptione laborans, & omni insolentia affluens. Superbus homo, omnibus bonis inimicissimus, crudelis, contumax, perfidiosus. Homo plenus fastus, superbiæ ac contumeliæ, & eò ignorationis atq; insolentiæ progressus, nullius ut uirtutẽ, nullius ut laudis atque doctrinæ famam ferre possit, omnia præ suo fastu contemnens, repudians, damnans. Admirabilis est & prodigiosa in hoc portento cum omnium pulcherrimarum rerum contemptio, tum uerò intolerabilis ingenij superbissimi iactatio. Omnia in hoc homine insunt, quæ ad probrum, ad insolentiam, ad superbiam pertinent. Magna est cognatio & similitudo hominis arrogantis cũ laudis alienæ detrectatore, qualem iam descripsimus.

LICEBIT AD HVNC MODVM similes uel laudandi uel uituperandi elocutiones, &

quendam optimarum figurarum apparatum ex diligenti M.T.Ciceronis lectione colligere.nō enim nobis hic uisum fuit per omnia elocutionis genera ire, quando nō copiosos latinæ linguæ cōmētarios scribere uoluimus,sed colligēdæ elocutionis facilē quādam rationem pueris tradere.

Agendi gratias.

IN GENERE DEMONSTRATIUO quoque uersamur,quoties bene de nobis meritis ciuibus gratias agimus. Nullum autem,ut M.T.Cicero in libro officiorum primo scribit,officium referenda gratia magis necessariū est.Fit enim ut prima dignitatis nostræ commendatio proficiscatur cū à magnis & præclaris in Rempublicam studijs, tū uerò beneuolentia in eos,quibuscum nobis officij ac uitæ constituta est necessitudo. NEC ALIVD tam est populare,quàm optimorum hominum gratiam summo studio,ueneratione ac beneuolētia colligere. sed ut parem in beneficiorum uicissitudine beneuolentiam referre,atque officiorum magnitudinem maiore quadā utilitate reponere nec facultatis est nostræ,nec fortunæ:ita caussa nulla est, si persoluere officium nequeamus,quāobrē nō animū saltem nostrū ijs emetiamur,bene uidelicet sentiēdo & prædicando, quorum sumus beneficij obstricti memoria sempiterna.NAM BENEVOLEN-

Agēdā bene meritis gratiā esse

TIAM qui agnoscit,iā retulisse uidetur:propterea quòd ueræ amicitiæ non emolumentis atq; utilitatibus,sed animorū cōsensione ac uoluntate, gratiq; animi propensione retinentur atque conseruātur.Cum igitur ingenui sit animi & beneficio non indigni,beneuolētiam libēter agnoscere, cogamúrq; in omni caussa ac ciuilibus officijs beneficiorū memores esse, subijciemus hic aliquot agendi gratias formulas, quas iuuentus in scribendo sequatur.

Agēdi gratias formulæ.

Gratias tibi mirificas ago, quādo uix referre possum.Sic animum tuū complectar,omnes ut me gratissimum esse intelligant. Vtinam tibi gratiam aliquando referre possim,habeo quidem semper.A me quidem gratijs agēdis prædicandaq; tua in me benignitate,quandiu hanc uitam egero, celebraberis. Atticus apud me tibi mirificas incredibilésq; gratias egit.Facere nō pōssum,quin in singulas res meritáque tua gratias tibi agam.Bembus me tibi singularibus uerbis gratiam agere uoluit.Si mihi uita contigerit,omnes in tua obseruantia gratas amicitias, studio, indulgentia, ac uoluntate colam atque uincam.Tota mihi uita eò transferenda est,ut bene de me meritis gratias agā.Omnis mea ratio,actio, cogitatio nihil erit aliud, nisi constans ac perpetua beneficij tui cōmemoratio. Omnis mihi ætas ad tua promerita prædicanda erit referenda. Nullum me puto propter tua multa & magna in me beneficia laborem in rebus tuis omnibus sine graui reprehēsione fugere posse. Ego omni labore & studio ac gratia in eam cogitationē incumbam,ut q. gratissi-

mus erga te esse cognoscar. A me nullum prætermittendum tempus de tuis rebus agendi atq; elaborandi. Nullū me hominis gratissimi, fidelissimi, diligentissimi officium propter tuam in me pietatē prætermittere posse mihi persuadeo. Beneficij tui memoria nullo nec tempore nec die finietur. Si nullum mihi in hoc ætatis meæ flexu reliquum foret officium, nisi ut gratus erga te iudicarer, tamē exiguū mihi tēpus uel ad referēdā, uel ad prædicādā gratiā putarē. Spero aliquādo fore, ut tuorū beneficiorū fructus ex me uberrimos præstātissimósque referre possis. Nulla est gratia, quæ quidem humano animo capi possit, quam non experiar uel remunerando beneficio tuo, uel illustrando. Omnem meā curam atque cogitationem in te colendo perpetuáque benevolētia retinendo figam atque locabo. Ego propter multas rationes officij, beneuolentiæ, humanitatis erga me tuæ nullum colendi tui tempus dimittam. Enitar sedulo, ut magnas ex me & perpetuas officiorum tuorum utilitates capere possis. Declarabo quibus possum rebus tuam mihi existimationem atque dignitatem charissimam esse. Mea in te omnia necessitudinis atque obseruantiæ officia propter incredibilem tuā benignitatem constabunt. Re ipsa præstabo, ut gratissimo te homini officium tribuisse intelligas. Quæcunq; ad te pertinent studiosissime omnia complectar. Tuorum erga me meritorū memoriam semper cōseruabo. De mea in te uoluntate sic uelim iudices: summo me studio, opera, consilio susceptorum fortem & constantem

dignitatis tuæ propugnationem. Ego meritorū tuorum amplitudinē mutuis officijs amplectar. Quæcunq; ad uoluntatem tuam pertinere intellexero, faciam diligenter, cum beneficio tuo, tum uero sponte mea inuitatus. Memoriam tui summa cum beneuolentia perpetuo tenebo. Ad innumerabilia tua in me merita ille maximus cumulus accessit, quòd singulari me beneficio nuper auxeris. Collegit in hanc sententiam plærasq; alias agendi gratias orationes in libro de uerborum copia primo D. Erasmus Roterod. & nos infrà plæraſque huius generis sententias indicabimus.

De elocutionis cum amplificatione, tum exornatione.

Amplificatio elocutionis.

GENERIS DEMONSTRAtiui pars præcipua constat amplificatiōe: cuius formas in priore libro indicauimus, cōmunes Rhetorū scholas secuti. Pulcherrimū enim eloquentiæ est munus, posse nudas rerū formas atq; dictiones dicendo uel extollere, uel extenuare, uerborum sentētiarúmque figuris exornare, illuminata deniq; collocatione gratiam admirationémque excitare. Cuius quoniam pulcherrima exempla extāt apud Ci-

ceronem & Vergilium,indicabimus eas ſolum elocutionis figuras,ornamẽta atque aſſumptiones,quibus frequẽtius oratio illuſtratur,uel plenior magnificentiórque fit ſententia. Nam alibi de rerum amplificatione locíſque communibus plura dicemus. Videmus enim hac uirtute M.Tullium conſecutum eſſe,ut ſuam rebus ſimplicibus,nudis ac ieiunis amplitudinem attribuerit,in magnis etiam rebus ſæpe ſtyli uel ſeueritatem, uel tenuitatem:in humilibus elationem magnitudinémque fuerit conſecutus.

Auxeſis.

Auxeſis.

PRIMA IGITVR AMPLIficãdæ dictionis forma eſt αὔξησις,in rei uocabulo poſita:qua utimur, quoties rem quampiam miſerabilem,crudelem & atrocem facere uolumus,ueluti ſi eũ qui læſus ſit,occiſum dicamus:aut pro impudico ſcortatorem,pro homine tenace auarum,pro hilari ſcurram,pro læto luxurioſum,pro fure ſacrilegum, pro homicida parricidam appellemus.Cui cõtraria eſt figura ταπείνωσις Græcis,Latinis diminutio appellata:qua eum qui uulnerauit læſiſſe, qui occidit uulnerauſſe dicimus.Vtriuſq; inſigne exemplum expreſſit Cicero in oratione pro M.Cælio.

Correctio.

FINITima huic figura eſt:quæ Græcis ἐπανόρθωσις,id eſt correctio dicitur:cuius exemplũ,quoniam ſuprà demõſtratũ eſt,nihil attinet hic referre.

Epitheta.

PVLCHRVM IMPRIMIS orationis ornamentum epitheton, id eſt adiunctum ſiue adiectiuũ,quoties rebus apte accõmodatur:efficit enim ut quod nullũ aut ſplendorẽ, aut gratiam,aut admirationẽ acerbitatémue habiturum fuerat,longe fiat atrociſſimũ.Nã & aliquid ἐμφάσεως augendæ uel minuẽdæ inuidiæ adfert, & grata quadã pulchritudine orationẽ ornat.Sumitur autẽ cum à bonis animi,corporis atque fortunæ,tum uerò à reliquis locis:ſed modus adhibendus, ut optima, & maximè ſignificantia eligamus epitheta, quæ præcipua gratia orationis dignitatem augeant atque ſplẽdorem: qualia ferè ſunt, Ambitioſa,fucoſa,ſimulata amicitia.Aerũnoſa uita.Turpis egeſtas. Arrogans crudelitas. Inuidioſæ opes.Præceps & lubrica dominandi poteſtas.Admiranda conſilij dignitas.Robuſta improbitas.Immanis audacia . Violenta & furens temeritas.Furioſa uinolẽtia.Profligatus helluo & perditus.Vera,grauis,ſolida gloria. Inoffenſa rerum experientia.Indefeſſa gnauitas.Luculenta plaga,id eſt,inſigne uulnus.Promiſſum tetrũ, integrũ, honeſtum,glorioſum. Spes falſa & fallax. Vita inops & uaga. Cæca & arrogans fortuna. Animus ieiunus atque anguſtus.Incõſulta & temeraria animi ratio.Fatalis calamitas.Memorabilis liberalitas.

Epitheta à quibus ſumantur.

ſingularis ſapientia.Ciuile & luctuoſum bellũ. Iucundiſſima ingenij laus.Afflictus,infirmus,eneruatus reus.Muta ſolitudo.Cæca nox.Eximia,experrecta uirtus.Hoſtilis mens.Turpis & nocens uita.Voluntarius inimicus.Tuta,tranquilla fortuna.Perdita auctoritas. Facinoroſa uita. Audax temeritas. Profuſa nequitia.Præceps amentia.Fideliſſima gratia.Spes maxima & ueriſſima.Cogitatio inanis.Timidus homo & omnia pericula circunſpiciens.Inconſulta ratio.Lautum & copioſum matrimonium. Inuſitata clementia.Diſiunctiſſima regio.Gens immanitate barbara,furore præceps, audacia furens, crudelitate immanis,graſſandi uſu impunitateq; exercita,ciuili ſanguine ac cæde paſta.Miſerum,funeſtúmque fatum. Conſilium obſcurũ.Incerta & anceps fortuna belli.Impedita & oppreſſa ſcelerum conſcientia mens.Profundæ libidines. Noua & inaudita luxuries. Intemperantiſſimæ perpotationes.Vaſtiſſimum mare.Funeſtum animal.Libidines tenebricoſæ.Inſignis turpitudinis memoria.Inæſtimabilis laus.Odium inteſtinum & infinitum.Infamis,crudelis, facinoroſa,libidinoſa mulier. Aſpera natura.Difficilis aditus. Grauis uultus. Incredibilis,inaudita pietas.Inſaturabile abdomen.Furioſiſſimus & egentiſſimus ganeo.Exultans furor. Fortè conſilium.Dies funeſtus,luctuoſus.Caſus horribilis, grauis,repentinus.Gloriæ curſus ſempiternus.Otioſa,conferta & plena uoluptatibus uita.Animus flagitijs tectus. Senex meritorum memoria. Difficilis Reip.adminiſtratio.Aſpectus truculẽtus,terribilis,

Tetra immaníſq; belua, & omni inaudita libidine infamis.Eblandita & enucleata ſuffragia.Inuidioſa gratia.Popularis blãditia & occurſatio.Perdifficilis & lubrica defenſio.Indomiti atque effrenati furores.Odium nõ obſcurum,ſed pertinax,inſitum, incluſum hominum animis.Nefaria pactio.Effrenatus,ſeditioſus,demens inſidiator.Importunum ſcelus. Suſpenſa & ſolicita ciuitas. Infractus atque inanis impetus.Furibundus magiſtratus. Præcipitans, ægra, labans Reſpubl. Demerſa patria. Tenuis criminum ſuſpicio. Homo grandi macie torridus, id eſt,maciẽtus. Paterna & auita poſſeſſio. Horridi & truces Tribuniplebis.Perturbata ratio. Libido effrenata.Conſilium diſſolutum atque perditum. Incluſum, inteſtinum, domeſticum malum. Infinita omnium rerum & intoleranda licentia,rerum cupiditas. Solum exile atque macrum. Confidens aſtutia. Callida audacia. Proiecta improbitas.Intermortuus pudor. Animus ſcelere affluens. Falſum,turbulẽtum,populare, ſeditioſum iudicium. Indomita libido.Fidelis beneuolentia.Peracre iudicium.Concio turbulenta. Humanus in defendendo, miſericors in iudicando,religioſus in teſtimonio iudex.Immanis barbaria. Importuna natura.Furioſa amentia ſceleris & audaciæ comes. Simulatio repentina & capitalis. Acris & infamis cupiditas. Facetus bonorũ decoctor.Flagitioſæ libidines.Singularis nequitia.Gliſcẽs,exardens,inſidioſum bellum. Perfidioſum & importunum animal. Audax, pernicioſus,criminibus obrutus reus.Cõuulſa,lacerata

Respu. Hians auaritia. Passim eiusmodi adiectiua in optimorum auctorum lectione sẽ offerunt, quæ studiosus lector ad locupletandam expoliendámq; orationis dignitatem diligenter obseruabit.

Aduerbia.

Aduerbia.

ADHVNC LOCVM REFERri possunt aduerbia aptè & significanter uerbis suis apposita: qualia ferè sunt, Iracundè & impotenter omnia facere. Impurè, impudenter, impiè, nefariè omnia agere. Vt, oratoris est boni uehementer, non iracundè agere, in consultationibus sine uerborum cõtumelia, sine acerbo animi dolore ab alijs dissentire, fortiter Rempu. ppugnare, suspiciose & timidè aliorũ corrigere mores. Mirabiliter alienæ gloriæ fauere. Cupidissimè iniurias psequi. Iniuriose tractare. Grauiter & uiolẽter fortunæ casum ferre. Seditiose Reipubl. tranquillitatem perturbare. Superbè optimorum hominum uoluntatem spernere. Diffidẽter spem omnem abijcere. Ambitiose, palam atque uehementer de honore contendere. Audacter improbitatem alterius extinguere atque delere. Arroganter ingenium ostentare. Castè integréque in Republ. uersari. Inuerecunde atque impie iudiciorum religionem ueritatémq; perfringere. Nefarijs stupris libidinose uolutari. Magnificè splendidéque conuiuium ornare. Impudenter belluari. Cupidè in contentionem certaménque descendere. Scurriliter nominis existimationem abijcere. Turbulenter imperitæ multitudinis animos concitare. Religiose amicitiam colere. Grauiter & acerbè ferre. Impunè in alterius fortunas grassari. Petulanter alterius dignitatem diuexare. Criminose accusationem conflare. Perfidiose fidem & religionem remouere. Liberè & accusatoriè dicere. Perditissimè & flagitiosissimè pudorem pudicitiãq; conspurcare. Impotenter magistratum gerere. Cupidè ad laudem accurrere. Impigrè & fortiter belli labores subire. Actionem maleficiose intendere. Iniuriosius aliquem tractare. Superbius appellare. Timide & diffidenter criminis rationem attingere. Furiose omnia perfringere atque perstringere. Cautè pedetentímque omnia uitæ officia subire. Confidenter proiectam improbitatem exercere. Obscure insidias moliri. Vafrè & malitiose alterius fortunas euertere. Ius suum dissolutè relinquere. Benignè sua studia alicui deferre. Studiosè ad bonos uiros incumbere. Leuiter errantem inflectere atque corrigere. Prudenter omnia, quæ humanitus euenire possint, circunspicere: nihil temere & negligenter, quod accidere possit, despicere: ferre moderatè, quæcunq; fors fortuna attulerit: non confidẽter in hac humanæ sortis fragilitate propriam fortunam posære, communem detestari: cuncta deniq; præclarè & constanter ad uitæ dignitatẽ referre. Non est difficile ijs similia aduerbia multa inueuire.

Insignes aliquot metaphoræ.

Metaphoræ

METAPHORAE MAGNVS est in omni scripti genere usus: propterea quòd cum ad orationis copiam, tum uerò ornatum mirificè conducit, & in tantis uocabulorum angustijs, suam rebus addit appellationē. Eius formas doctissimè adnotauit magnus ille & in ōni laudabili eruditione admirabilis artifex D. Erasmus Roterodamus. Nos etiam illustres aliquot metaphoras hic subiecimus, quarum exemplo ad reliquas colligendas utatur iuuentus. Vorago, scopulus, bustum Reip. serpit in urbe malum infinitū, idque manat indies latius. Iidem enim in foro bustum faciunt, qui antea in senatu sepulturam effecerāt. Tanta sum ad reditum cupiditate incensus, ut nulli mihi neq; remi, neque uenti satisfaciant. Omnes in Ciceronem redundarunt ex illo communis exitij fontæ dolores. Ciuitas acerbissimo luctu redūdat. Restinguere odiū. Nouū ignē ac inuidiæ flāmā amplissimo ordini subijcere. Remedium ægrotæ ac propemodū desperatæ Reip. dare. Senatus inuidiam ambitus crimine inflāmare. Pecuniæ hodie iudiciorū religionē ueritatémq; perfregerunt. Defessam & refrigeratam inuidiā noua sceleris flamma excitare. Aegram & propemodum

depositam Reip. partem suscipere. Flumen ingenij. Lumen eloquentiæ. Lux liberalitatis. Exitiū Reip. pestis ciuium. Naufragiū fortunarum cōmuniū. Fax & furia innocentissimorū hominū. Gurges uitiorū turpitudinūq; omniū. Tēpestas querelarū. Ex desperatis Reip. malis cōfecta ciuitas sanari iā nō potest. Pernicioſorum ciuium fax in ōnes seditionis fluctus illabitur atq; adhæresćit. Vnus Cicero cōmuniū tēporū flāma pro patria exarsit. Arcē facere ex cloaca, lapidémq; è sepulchro uenerari pro deo, id est, honorè indignum magnificè efferre. Difficile est clauū Reip. in maximo cursu ac fluctibus tenere. Virtus in tenebris lucet, neq; ullis sordibus obsolescit semper per sē splendens. Risu disrumpi. Ex campo æquitatis ab uerborum angustias aliquem reuocare. Magnam Reipu. lucem afferre. Euellere ex hominum animis conceptā opinionē. Flagrare amētia. Inflammata libidine ferri. Triumphare gaudio. Mœrore consēnescere. Assentatiōibus in alterius cō suetudinē immergere. Tela omnia criminationis in aliquem cōiectare. Erigere animū demissum. Inijcere scrupulum. Conflare inuidiam. Infamiā atrocissimæ turpitudinis inurere. Criminationis mucronem retundere. Procellis inuidiarum iactari. Omni scelere affluere. Respirare à metu. Rebus secūdis inflari, frangi aduersis. Disrūpi inuidia. Bilem & stomachū mouere. Seditionis flabello omnium trāquillitatem perturbare. Veritatē mendacio contaminare. Nefario scelere Remp. lacerare atq; extinguere. Odium omne euomere atq; deponere. Illaqueare reū legū

periculis,irretire odio bonorum,implicare supplicio. Excutere atq; exhaurire aliquem bonis. Diuellĩ dolore. Hærere in turpitudine. Diffluere ab amicitia. Iacentem & concisum pluribus uulneribus misericordia alleuare. Periculi tẽpestate de uitæ cursu dimoueri. Conflagrare inuidia. Aestuare dubitatione. Reip. procurationẽ ad suũ quæstũ nũdinationémq; traducere. Publico naufragio lacunam rei familaris explere. Ex magnis criminibus elabi. Aculeũ contumeliæ excutere. Omnia iuris repagula perfringere. Aucupia uerborum & literarum tendiculas in inuidiam uocare. M. Tullius Clodij furorẽ cedendo maluit frangere,q̃ resistendo. Primoribus labris gustare. Profundere uoluptates. Ipsa natura,ut scribit in oratiõe pro M. Cælio Cicero,profundit adolescentiæ cupiditates,quæ si ita erumpant,ut nullius uitam labefactent,faciles & tolerabiles haberi solẽt. Labem sceleris sempiterni contrahere. Ex profundis libidinibus emergere,totúmque se eijcere atque efferre. Floreſcẽtem fortunam subita tempestatæ peruertere. Ex iactatione populari in medios omnium perturbationum fluctus dilabi. Non sum,inquit Cicero in Pisonem,ita timidus, ut qui in maximis turbinibus ac fluctibus Reip. nauẽ gubernassem, saluã q; in portũ collocassem,frontis tuæ nubeculam,tũ collegæ tui contaminatũ spiritũ pertimescam. Deuorare animi molestiã. Volitare gloriæ cupiditate. Populi fluctus excitare. Licentiã fractis cupiditatibus cõstringere. Exuere humanitatem. Sanare omnia belli funera. Ciuilis belli incendium conseruatione ciuiũ

restinguere. Profundere animã. Euellere suspitionẽ.

Incrementum.

Incremẽtũ & eius forma.

ELEGANS IN PRIMIS schema uel ad exornandam,uel amplificãdam orationẽ,quod incrementũ appellatur: quo inferioribus exaggeratis pgrãdus quosdam,ad id quod summum est peruenitur. Eius formas plæriq; faciũt quatuor, alij etiam plures:ut prima ea sit, quæ ex infimis ad summa aliquem habet progressum:ut,omnis huius uitæ optimarum rerum studijs exercita,attrita, consumpta est. Mar. Tullius Ro. Rempublicam fune sta coniuratione laborantẽ atque oppressam admirabili consilij fœlicitate erexit,restituit,conseruauit. Catilina omne humanæ necessitudinis ius, omnem amicitiæ fidem contempsit,uiolauit,perfregit. Quin. Fabius senescentem Romani nominis gloriã & prope extinctam à libidinoso Hãnibalis furore primus uindicauit,insolita uirtute illustrauit,& cum omni posteritatis memoria adæquauit. Ostendimus pulcherrimum eius exẽplum esse apud Ciceronem actione in Verrem quinta. Secunda eius forma est,quũ excitandæ admirationis causſa ei,quod sua alioqui natura summum esse uidebatur, aliquid augustius atq; præstãtius adijcimus. eius tale exẽplũ extat apud Ciceronẽ lib. 1. Tusculanarũ quæstionũ, Aristoteles lõge omnibus præstãs & ingenio & di-

ligentia, Platonem ſemper excipio. Summum erat, Ariſtotelem cæteris omnibus ingenio ac diligentia egregiè antecellere, auxit tamẽ cum diceret unum ſe Platonem excipere. Tale item eſt, Diomedes omnes Græcos inuicti animi magnitudine rerúmque geſtarum gloria ſuperauit, excepto tamẽ unoVlyſſe. C. Iul. Cæſar ſcriptionis elegantia, præter unum Ciceronẽ, fœliciſſimè Romanũ ſermonem expreſſit. Tertia eius forma eſt, quũ citra ullũ ordinẽ aut gradum, quod atrociſſimũ eſt dicimus. Vt patrẽ tuum, cui uitæ lucíſq; huius iucunditatẽ debebas acceptã ferre, occidiſti: quid dicã ãplius? patrẽ tuũ occidiſti. Matrem tuã Oreſtes intra humanæ naturæ ſordes crudeliſſime interfeciſti: nullo grauiore flagitio obſtringi poteras, matrem tuam interfeciſti. Quarta forma eſt, quæ impetum atq; incrementũ ſumit à rerum circunſtantijs. ut L. Piſonem Conſulẽ cũ furoris Clodiani uis tota urbe uolitaret, in maxima Reipublicæ perturbatiõe, in maximis naufragijs ciuitatis, in ſumma optimorum ciuium deſperatione, in maximo ſenatus luctu nemo ſobrium, nemo agentem aliquid, quod eſſet libero dignum, nemo deniq; in publico uidit. Venuſtum quoque illud à circunſtantijs eſt incrementũ in eadem Ciceronis oratione in L. Piſonem. Cũ ſeruorũ, inquit, delectus haberetur in foro, arma in templo Caſtoris luce & palam comportarẽtur: id autem templũ ſublato aditu, reuulſis gradibus, à coniuratorũ reliquijs, atq; à Catilinæ præuaricatore quõdam, tum ultore, armis teneretur: cum Equites Romani relegarentur, uiri

boni lapidibus è foro pellerentur, Senatui nõ ſolum iuuare Rempublicam, ſed ne lugere quidem licæret: cum ciuis is, quem hic ordo aſſentiente Italia, cunctíſque gentibus conſeruatorem patriæ iudicarat, nullo iudicio, nulla lege, nullo more, ſeruitio atque armis pelleretur, non dicam auxilio ueſtro, quod uerè liæt dicere, ſed certe ſilentio, tum Romæ fuiſſe Conſules quiſquam exiſtimabit? Nihil his potuit uel efficacius uel uehementius dici ad augendam inuidiam.

Synonymia.

Synonyma

SYNONYMI AN QVOQVE diximus quandam nominis eſſe cognationem ſiue interpretationẽ, quaſi rei ipſius, quam exaggeramus, indignitas, uocabulo uno ſignificari non ſatis euidenter poſſit. sũt autem ſynonyma, mucro, gladius, enſis: perdere, diuexare, affligere, extinguere Rempublicam: uigiliæ nocturnæ, excubiæ, ſtationes. si Italiæ dilectus, inquit in oratione pro Milone Cicero, ſi arma, ſi Capitolinæ cohortes, ſi excubiæ, ſi uigiliæ, ſi delecta iuuentus contra Milonis impetum armata eſt, atq; illa omnia in hunc unum inſtituta, parata, intẽta ſunt &c. Et in Piſonẽ: Magna, inquit, maieſtas conſulis. nõ capiunt anguſtiæ pectoris tui, non accipit leuitas iſta, non egeſtas animi, non ingenij infirmitas ſuſtinet tantam perſonam. Vergilius:

Quid puer Aſcanius? ſuperéſtne,& ueſcitur aura Aetherea,nec adhuc crudelibus occubat umbris? Regnat hoc ſchema in affectionibus. Sed nihil attinet pluribus exemplis hic uti,quæ obſcura eſſe non poſſunt.

Gradatio.

Gradatio.

COGNATA INCREMENTO *figura eſt,quæ à Græcis κλίμαξ,Latinis gradatio appellatur. Nam & proximum ſemper uerbũ ad alia deſcendens repetit:& miram rebus ue nuſtatem iucunditatémq; adfert.cuiuſmodi eſt: Literarum ſtudium laudem,laus uitæ dignitatem, dignitas admirationem parit. Otium excitat uoluptatis ſtudium, uoluptas parit peccatum, peccatũ uerò animæ mortem.Caput,inquit Paulus,mulieris uir eſt,caput uiri Chriſtus,Chriſti autem deus. Nota figura & in illuſtri orationis gratia poſita.*

Congeries.

Congeries.

CONGERIES,QVAM ΣΥΝΑθροισμὸν *uocant Græci,non uocũ gradus,ſicut incrementum, ſed cumulum quendam habet.inſigne admodũ ſchema, quoties plures uirtutes uel uitia,*

plures animi corporíſque dotes uni alicui perſonæ attribuimus, ut,homo iuſtus,temperans, uirtutum cultor,uitiorũ cõtemptor,humanus, miſericors &c.

Nam quòd uobis iſte,inquit in L.Piſonem Cicero, tantummodo improbus, crudelis olim furunculus, nunc uerò etiam rapax,quòd ſordidus,quòd contumax,quòd ſuperbus,quòd fallax, quòd perfidioſus, quòd impudẽs, quòd audax eſſe uideatur,nihil ſcitote eſſe luxurioſius,nihil libidinoſius,nihil poſterius,nihil nequius.Crebrò hæc figura in omne cauſſæ genus incidit . Hac figura Cicero mirabiliter exaggerauit Clodij in omnes ordines flagitiũ. Polluerat, inquit,ſtupro ſanctiſſimas religiones, Senatus grauiſſima decreta perfregerat, pecunia ſe palam à iudicibus redemerat, uexarat in tribunatu ſenatum, omnium ordinum conſenſu pro ſalute Reipub.geſta reſciderat,me patria expulerat,bona diripuerat,domũ inœnderat,liberos,cõiugẽ meã uexauerat &c.

Antitheſis.

Antitheſis.

NVLLVM FERE EST SCHEma,quod illuſtriorem gratiam,maiorémque ſplendorem cum exornãdis, tum uerò amplificandis rebus adferat,quàm ἀντίθεσις, id eſt cõtẽtio: cuius uim aliquãdo inter rerũ locos referemus. explicat enim & oſtendit,quã uim optimarum rerum

uirtutes habeant,quæ ſit inter uirtutes ac vitia cognatio: & ipſa illa collatione rerum omnium naturam ac conſecutiones optime indicat: & proinde maximus eius eſt uſus in genere demonſtratiuo: ut qui eximiam in principe clementiam,animi moderationem ac incredibilem uitæ continentiam probare uelit,præcipua argumenta ducat à deteſtatione impietatis,iræ,& libidinis. In ſuaſionibus nihil hac figura efficacius fingi poteſt. Eius etiam exemplum tale eſſe poteſt. Homo in ſcelere uigilans,in uirtutum officijs ſomnolentus & iacens: in perditis rebus diligens,in ciuilibus negotijs negligens:timidus in rebus ſtrenuè agendis, audax in facinore. Ineptus & ſtultus inter uiros,concinnus & prudens inter ſtultas mulierculas. Concitus ad rixam,tardus ad gratiam. Virtutis egens, ſcelerum profuſus. Mortales amicitias, immortales uerò inimicitias gerit. Inimicus ſuis, amicus uerò alienis. Euerſor & captator fortunarum alienarũ,naufragus ſuarum. Inimicus otij,perturbator tranquillitatis,auctor ſeditionis,uexator ciuium, hoſtis bonorum omnium. Certabit,inquit Cicero actione tertia in Verrem, mea diligentia cum illorum cupiditate, ueſtra integritas cum illorum perfidia,teſtium conſtantia cum illius leuitate atque periurio.

De affectionibus.

PRIMAM IMITATIONIS partem eſſe uoluimus, diligenter & ſumma animi ratione atque cura obſeruatum eius conſiliũ,ad cuius imitationẽ tota mente conuertimur: propterea quòd naturam,cum ſua quiſque ἕξει celeríq; ingenij motu feratur,imitando effingere non poſſumus. Secundam eius partem fecimus certam quandam rationem ac uiam dicendi,quam munire optimarum elocutionum propoſitis exemplis conati ſumus. Huic figurarum, quibus ſimplex oratio illuſtrior illuminatiorq; redderetur, tãquam partẽ tertiam ſubiecimus. Nunc de materia ſiue ſcribendi genere,quod imitando explicare uolumus,pauca quædam dicemus. Nam duplex eius eſt ratio. Aut enim ſimplex materia & SOLITARIA nullis uel affectionibus uel exornationibus expolita philoſophorũ more proponitur: qualis eſt de cælo & mundo,de elementis,de animæ immortalitate, de ſummo bono, de morte,de morborum cauſſis, ſympto-

Imitationis partes.

Affectiones

matis, differentijs, & remedijs &c. & cuiuſmodi ferè ſunt omnia Mathematicorum axiomata, quæ certis demonſtrationibus, nullis uel figurarum exornationibus, uel amplificationibus ab ingenuarum artium ſcriptoribus in ſcholis eruditorum hominũ explicantur. Summi enim homines ingenio & otio affluentes, latentes magnarum rerum cauſſas, originem, formas atque conſecutiones contenti fuerunt ſine ullo orationis fuco ac pigmento poſteritati tradere: propterea quòd rem doœre q̃ ornare maluerunt, putarẽtque uitium omnem animi motum, & proinde nulla perinde re mentem humanam nõ ſolum ab omni animi integritate ac ratione, uerum etiam conſtantia & ſanitate abſtrahi, atque affectionibus: quarum moderationem in prudente uiro etiam laudabant Peripatetici, cum tamen eas extirpandas omnino eſſe Stoici contenderent. Sed eadẽ hæc ſi uel ab oratore, uel poëta, uel ab eo deniq; aſſumantur qui in affluẽtis populi cõcurſu omnia ad ingenij ſui iactationem, ad famam eloquentiæ, ad multitudinis delectationem, admirationem, atq; acclamationem facit, non magis de probationis fide, quàm indoctæ plærunq; plebis opinione uel iudicio ſolicitus, omnia iam plena eloquẽtiæ, plena affectionum, plena deniq; ſpiritus atq; animi erunt. Nam ut lachrymas mouere ſiccis oculis nemo poteſt, ſic orator de rebus amplectendis ac fugiendis, de Reipublicæ adminiſtratione, de morte expetenda, de animi æternitate dicturus, audientium animos optimarum rerum ſtudio atque ambitu, humanæ uitæ

Affectiones quid ſint.

odio, uirtutum deniq; omnium amore & deſiderio tanquam facibus quibuſdam incendere debet atq; inflammare: & ſpe, deſiderio, odio, amore, ira, cupiditate permotos in quẽcunque uelit animi impetũ pertrahere. Sunt enim affectiones à natura homini tanquam animorum pædagogi quidã utiliter datæ, quarum ui atque impulſione ad res ſtrenuè agẽdas ferimur: quando nullam magnam & laudabilem uirtutem exercere, nullam uitæ dignitatem amplecti, nullum optimarum rerum ſtudium, niſi cuius ambitu afficiamur, colere poſſumus. Quod animaduertentes Peripatetici, ne oratorem quidem ſine iracundiæ aculeis non modo accuſantem, ſed ne defendentem ferre oportere iudicabant: adeóq; utiliter animorũ perturbationes à natura homini datas eſſe, ut ipſi Philoſophiæ principes tantos in ſtudijs progreſſus, luſtratis ultimis penè orbis terrarũ finibus facturi, ſine flagrante cupiditatis ardore non fuerint. Sic iram ad fortitudinem excitandã, ſic miſericordiam ad calamitatem afflictorum hominum ſubleuandam, ſic æmulationem ad præclariſſimarum rerum ſtudia excolenda, dolorem ad ignominiæ atque infamiæ fœditatẽ fugiendam non ſine magna utilitate eſſe cõſtitutam. Quare ea nobis materia, quæ affectiõibus abũdat, CONIVNCTA nominabitur. ĩ qua omnis oratoris facultas, omnis dignitas, omnis deniq; admiratio eſt poſita: quòd orator de rebus magnis ad Reipublicæ decus atque dignitatẽ pertinentibus dicturus, ſæpe cogatur multitudinis animos cohortatione, obiurgatio-

ne,cæteríſq; locis communibus ad cupiditatem, ad laudem,atque gloriam, ad res præclarè agẽdas uel concitare:uel ira,odio,ac libidine inflammatos animos à temeritate,iniuria,ĩuidia,crudelitate ad moderationem reuocare. Nec aliud ad cõcitãdos multitudinis in nos animos,ad conciliandam beneuolentiam & attentionem,ad riſum,fletum, lachrymas, miſerationem mouendam tam uehemens eſt, atque oratio omnibus animorum motibus,quos hominum generi natura tribuit,affluens:propterea quòd omnis uis,ut ait Ciæro,ratióq; dicendi in eorũ qui audiunt,mentibus aut ſedandis,aut excitandis exprimenda eſt. Videtúrque ob id Plato rationem rectè dixiſſe aurigam eſſe,equos uero animi motus, quibus & currus & auriga traheretur. Atque ut hic Ciæro duo motuũ capita feciſſe uidetur, ſic omnes penè Rhetores,qui de arte dicendi ſcripſerunt,affectionum genera faciunt τὰ ἤθη,καὶ τὰ πάθη.

Platõis ſentẽtia de affectionibus.

PRIORA ILLA MITIORA SVNT, & in ſedandis ferè animis,in quadam commendatione,deprecatione & excuſatione poſita:ut mãſuetudo,timor,pudor,miſeratio,fauor,delectatio,cæteráq; huiuſmodi,quæ uel ab Ariſtotele in rhetoricis, uel à Ciærõe enumerãtur:& præcipuè in comœdijs regnant. Expreſſit hos motus admirabiliter poëta Comicus in oratiõe Pamphili ſuum erga Glycerium ingenuum amorem declarantis:

Ego propter me,inquit,illã decipi miſeram ſinam?
Quæ mihi ſuum animum,atq; omnẽ uitã credidit:
Quã ego animo egregiè charã p uxore habuerim.

Bene & pudicè eius doctum atq; eductum,ſinam Coactum egeſtate ingenium immutarier?
Mouit enim miſerationẽ à fortuna & malis deſertæ atq; neglectæ Glycerij, cuius innocẽtiæ obſtare paupertatem poſſe animo ærnebat, & indignitatẽ exaggerauit ab amore & conſuetudine, quæ ingenuo adoleſcenti cum Glycerio fuerat conſtituta:tam quam perfidioſi ſit ingenij, datam ſemel fidem ulla uel patris uoluntate,uel temporis iniuria,uel cælamitate frangere. Addit deinde amorem nõ illum, qui ex libidine,ex uoluptate, ex corporis turpitudine ſit profectus,ſed liberalem atq; pudicum:Quam ego,inquit,animo egregiè charam pro uxore habuerim. Neque tamen in his pietatis, amoris,miſerationis,indignitatíſque motibus acquieuit:ſed omnia hæc exaggerauit à liberali uitæ inſtitutiõe,quæ fortuna ac conditione meliore digna uidebatur:ut his locis non ſolum legentis animus perturbetur,uerũetiam quàm honeſte Pamphilus amauerit,appareret. Nam eiuſmodi ferè affectionum loci ſumuntur ab ætate,ſexu,fortuna,conditione, uitæ innocẽtia, iniuria atque rei indignitate. An uerò Anna apud Vergilium ſororis ſuæ Didonis animum magnum atque fortem,& in mariti fidem tota mente conuerſum, his affectionibus non permouit ſolum, uerumetiam fregit?

Anna refert,ò luce magis dilecta,ſorori,
Soláne perpetuò mœrens carpere iuuenta?
Nec dulces natos,Veneris nec præmia noris?
Id cinerem aut manes credis curare ſepultos? &c.

Captat enim beneuolẽtiam à singulari suo erga sororem cum amore, tum pietate: ut ostensura, quantis commoditatibus Didoni, si amoris cõiugij; sensum omnem abijciat, sit carendum, plus habeat & fidei & auctoritatis. primum deinde motum ab ea ætate, quæ & uoluptatibus affluit, & procreandis liberis est idonea, pulchrè excitat: & liberorum delectatione, spe futurarum rerum, quarum gloria circunfluere posset, contemptu deorum, quos huiusmodi rebus permoueri negat, timore denique periculi labantem eius animum inflexit, magnisque cupiditatibus inflammauit. Magnam in omni deliberatione hæ affectiones uim atque facultatem habent.

POSTERIORA, QVE TA' ΠΑΘΗ Græcis appellari diximus, uehemẽtem, concitatum, incensum, & penè tragicum habent motum ad misericordiam, inuidiam, odium, contemptum, indignationem, desperationémque excitandam. has enim perturbationum formas, præter eas, quas iam enumerauimus, in Rhetoricis facit Aristoteles: Cicero in Partitionibus omnem animi motum ad uoluptatem, ad molestiam, ad metum, ad cupiditatem refert. In his Cicero hæret, in his immoratur, in his habitat, quoties concitatæ plebis mentem audacia ac temeritate furentem uel componere, uel periculorum metu debilitatam ad res præclarè agẽdas excitare, uel auditorum atque iudicum animos aduersariorum odio, inuidia, innocentia rei & afflicta fortuna, indignatione oppressæ uirtutis in-

flammatos in mansuetudinem, pietatem, ac misericordiam cõuertere conatur. Cuius rei cum in multis alijs, tum præcipuè in ijs orationibus, quibus parens ille eloquentiæ A. Milonem & P. Syllam defendit, longe est pulcherrimum. nam & Pub. Syllæ innocentiam singularemq; pudorem iudicibus commendat. Nihil uideo, inquit, esse in hoc P. Sylla Iudiçes odio dignum, misericordia digna multa: neque enim nunc propulsandæ calamitatis suæ caussa supplex ad uos Iudiçes confugit, sed ne qua generi ac nomini suo nota nefariæ turpitudinis iuratur &c. & lachrymas mouet à filij in patrem pietate ac sollicitudine: Huic misero, inquit, notiora sunt iudiciorum itinera, & fori, quàm disciplinarum. sed & ipsos quoq; iudiçes dolore animi, quẽ ex calamitate P. Syllæ capere uidebatur, impeditos, inimici uerò crudelissimo & nefario odio incensos, fortunæ denique æerbitate, rerum uicissitudine, & graui conquestione fractos, ad lachrymas, ad misericordiam, ad afflicti & calamitosi hominis alleuationem adducit atque impellit. postremò etiam lenitatem & misericordiam elicit à malis P. Syllæ. Quid enim, ait, erat mali, quod huic spoliato honore, fama, fortunis deesse uideretur? aut cui nouæ calamitati locus ullus relictus esset? urget eadẽ fortuna quæ cœpit, repetit nouum mœrorẽ, non patitur hominẽ calamitosum uno modo afflictum uno in luctu perire &c. Nulla cuiusquam mens tam barbara & inhumana est, quæ non his affectionibus perturbari posse uideatur. Admirabiliter sanè Vergilius

grauissimas animi permotiões in matris Euryali lachrymis atq; cõquestione expressit his carminib9:

Hunc ego te Euryale aspicio? tu'ne illa senectæ
Sera meæ requies? potuisti linquere solam
Crudelis? nec te sub tanta pericula missum
Affari extremum miseræ data copia matri. &c.

Harum omnium permotionum tractationem amplius in priore libro ostendimus. sumuntur enim ab animi cõmentis, græci φαντασίας apppellant, quorum loci sunt rerum personarúmque adiuncta.

Cõmenta.

Optime enim quemcunque animi motum exprimet, qui omnia adiuncta absentiúmq; rerum imagines animo conceperit. hinc enim dolorem animi exaggerasse Euryali mater uidetur, quasi diceret, non fui periculorum socia, non adfui morienti filio, non postremam eius uocem excepi, non potui laboranti mederi, &c. Magna certè & admirabilis q dã affectionũ uis est nõ solũ ciuilibus in caussis, ue rũetiã in oĩ uita benè fœlicitérq; instituẽda. sũt enĩ quædã ab animi ratione & virtutis studio sic abhorrẽtes, ut cõiũctæ prsus uideãtur cũ originis peccato: qã efficit, ut nostrã utilitatẽ cũctis rebus ante ponamus: cuiusmodi fere sunt, ambitio, ira, inuidia, &c. Quædã uerò rationi pariũt, ciuilisq; uitæ dignitatẽ ualde cõmẽdãt: ut parentũ erga liberos amor, liberorũ erga parẽtes ueneratio atque pietas, uxoris erga maritum fides. Multa de his præcipiũt Aristo. in Rhet. lib. 3. cap. 7. πολιτικ. & Cice. lib. 4. Tusc. quæst. Nũc unde digressi sumus ad reliqua caussarũ genera deueniamus, nã cæteros amplifica-

tionis rerúmque locos infrà explicabimus.

De genere deliberatiuo.

PRINCIPIO SCIENDVM, omnem cogitationem motúmq; animi aut in consilijs capiundis de rebus honestis & pertinentibus ad bene beatéque uiuẽdum, aut in studijs cognitionis scientiæq; uersari: deinde habendã hanc rationem esse, ut paci consulamus, atque ad rem gerendam non modò consideremus quàm illa res honesta sit, sed etiam ut habeat efficiendi facultatem, ne quid temerè desperemus propter ignauiam, aut nimium confidamus propter cupiditatem: postremò, ut in publicis consultationibus semper honestatem falsa utilitatis specie habeamus potiorem.

pulchræpræceptiões de genere deliberatiuo.

Nam in consilijs dignitas, lex, religio, fides, æquitas spectanda. Libido autem, cupiditas, odium, inuidia, metus, animorúmque uehementes permotiones omnes amouendæ. Maxime existimare unumquenque, ut ait Cicero, oportet mentis suæ conscientiam, quæ à dijs immortalib9 accepta à nobis diuelli non potest: quæ si optimorum consiliorum atque

factorum testis in omni uita nobis erit, sine ullo metu, & summa cum honestate uiuemus. Huius autem generis ut magnus est usus, sic multæ eius sunt formæ. Complectitur enim suasionem & dissuasionem, exhortationem, dehortationem, & huiusmodi, quorum omnium formulas aliquot signabimus. Sunt enim communes suadendi elocutiones: suadeo, hortor, moneo, rogo, præcipio, auctor tibi sum ut facias, me suasore hoc ages, hoc consilium de mea sententia capies: me impulsore, meo suasu, meo hortatu in literarum studium incumbes. Pulcherrimæ uerò illæ sunt, quæ ostentationis, consilij, & arrogantiæ habent uel dissimulationem, uel deprecationem, quæ in exordij usum siue epistolam, siue orationem scribamus, sumuntur: cuiusmodi sunt,

Suadendi & monendi.

Suadere & monere.

QVANQVAM CONSILIO non eges, quo plurimum uales, tamen ut summi gubernatores in magnis tempestatibus à uectoribus admoneri solent, & clarissimi medici ægrotantis consilium sæpe sequuntur: sic feres à me rebus tuis cõsuli, si forte ipse minus pmoueris. Non dubito quin ipse ad omnem animi prudentiã cũ natura, tũ studio satis sis informatus: tibi tamẽ suadeo, uel etiam

moneo, ne leuẽ hãc iniuriã animi offensione potius, q̃ naturæ moderatiõe ac æqtate definire uelis. Tibi oĩnò suadeo, atq; etiã rogo, ut quæ ingenio studióq; tibi pepisti, ea in usum Reipu. referas. Etsi cõsiliũ facilius capere, q̃ alijs dare possum, uereór; tibi homini summa prudẽtia, summo ingenio prædito quicquam aut suadere, aut dissuadere, ne cum amori in te meo sim obsecutus, tuo uidear iudicio diffidere: malo tamen pueriliter curiosus uideri, quàm ulla in officiorum parte negligens: quo facilius qui cursus rerũ, qui exitus futurus sit, ex me quoque scire possis. Si ad aliorũ consilia rationes tuas cõformare uelis, hoc tibi agendũ censeo, ut oĩa quæ dignitatis, quæ laudis, quæ gloriæ plenissima sunt, tibi in hoc uitæ curriculo nõ solũ imitanda, sed & percipiẽda proponas. Tu uero si cõceptam de tua uirtute opinionem, expectationémque sustinere uelis, eò cursum tuum dirigere debes, ut quod tibi honorificũ, cunctis uerò bonis maximè optabile esse iudicæs, id exequaris: publicam utilitatem spectes, priuatam negligas: domi uitæ splẽdorẽ, militiæ rerũ gerẽdarũ gloriam quæras: otium cum dignitate, dignitatem cũ otio ampliẽtaris. Tu si cõsilio meo parere uoluerís, in earũ rerũ cogitationẽ incũbes, quæ ad gloriã, amplissimámq; gratiæ, dignitatis, splẽdoris excellentiam pertinere uidebuntur. Adhibendam eã tibi moderationẽ cænseo, ut in tanta perturbationũ concursatione tempori potius cedendum, q̃ tuis obtemperãdum moribus iudicæs. Tibi uerò cum meo in te amore, tũ causſa tua impulsus suadeo, & si pate

ris præcipio,ne ullius uel iniuria,uel gratia animũ tuũ ab optimarũ rerũ ſtudio inflectas. Ego quanq̃ nõ modò nil mihi aſſumã,in quo diſſentire tu à me poſſis,ſed etiã ſi à te mihi q̃cq̃ cõcedatur,planè remittã,hoc tamen tibi ſuadere audeo &c. Si leniter à me pro noſtra cõiunctione,uel mea ppetua in te obſeruãtia monendus es, uideor hoc tibi ſuadere poſſe &c. Dabis iſtud amori noſtro, ut in eã opinionẽ ſentẽtiãq; te adduci ſinas,quæ cũ tuis utilitatibus eſt cõnũcta. Tibi ĩprimis ſuadeo,atq; hoc meo etiã iure præcipio,q̃ uitæ dignitatẽ,q̃ patriæ decꝰ, q̃ Reipublicæ gloriã ſpectas,ne ſi qua te uel neceſſitas,uel uolũtas ad Rẽpub.defendẽdã uocabit,ſegnior in publicis q̃ priuatis ſis rationibus: néue ullius uel iniuria,uel gratia à fortibꝰ cõſilijs refugias. In hoc ætatis tuæ flexu iſtud tibi agẽdũ cẽſeo,ut animũ tuũ cõformes excellẽtiſſimorũ hoĩm cogitatiõe, quos neq; cõmuniũ tẽporũ tẽpeſtas,neq; honoris ſtudiũ,neq; dignitatis ambitio unq̃ potuit de inſtituto uitæ ſuæ curſu ad deſidiã,ad deſperationẽ;ad animi dimiſſionem dimouere. Optima eſt illa, quæ à periculi rerúmq; magnitudine attentionẽ habet:ut, Vos moneo P.C.ne in tantis Reipublicæ malis deſidere amplius uelitis:agitur libertas, pro qua mori etiam quondam honeſtum fuit: agitur ſenatus auctoritas, quæ improbiſſimorum hominum audaci facinore conuulſa atque diſſipata propemodum iacet:agitur uita & fortuna optimi cuiuſque, quæ uobis chariſſima eſſe debet &c. Moneo te & prædico,cum res bona omnium pace componi poſſit,ne

duriorem tibi cõditionẽ ſtatuas,quàm ferre poſſis. Hoc enim eſt animi,hoc conſtantiæ, hoc ſuſceptæ dignitatis tuæ diligẽter præuidere,ne qua inimicorũ uis,ne qua inuidia,ne iniuriæ à rebus gerendis te labefaciãt,aut in grauem aliquam perturbationem conijciãt: quãdo,ut Cicero ait,illi demum perbeati uideri ſolent, qui in optima Republica cum & honoribus,& rerum geſtarum gloria florerent,eũ uitæ curſum tenere potuerunt, ut uel in negotio ſine periculo,uel in otio cũ dignitate eſſe poſſent.

Diſſuadendi.

MAGNAM OMNIVM MAXImarum rerum humanæq; prudentiæ uim continet deliberatio, quoties de corrigendis ciuium moribus,de ciuitatibus inſtituẽdis,retinenda libertatẽ, propugnandis ciuium fortunis, de iuuentutis diſciplina,de frangendis hominũ cupiditatibus,colenda religiõe,pace uel bello ſuſcipiẽdo, de iuſtitia,patiẽtia,æquitate,de rerum earum omnium,ſine quibus ciuitates benè moratæ eſſe non poſſunt, modo ac temperatione conſultamus: eóque graues auctores abundantes doctrina & rerũ omnium cognitione monent diligenter intuẽdum,& multa animi prudentia peruidendum eſſe, quid præcipuè in rebus expetendis uel fugiẽdis ſuadeamus aut diſſuadeamus,quid cum Reipu.dignitate,ac ſalute ciuium ſit